27 6.

ILLUSTRISSIMO ET PERITISSIMO VIRO

ANTONIO FERREIN,

PARISIENSI ET MONSPELIENSI

DOCTORI MEDICO,

MEDICINÆ PRACTICÆ

LECTORI REGIO

ANATOMES ET CHIRURGIÆ

IN HORTO REGIO PROFESSORI,

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ

SOCIO DIGNISSIMO;

MAGISTRO MIHI COLENDISSIMO,

MÆCENATI DEMUM AMICISSIMO.



TE docente & informante, Medicinæ dediſſe operam : te Duce & Auſpice longam hanc Artem profiteri, hoc præſidium eſt & dulce decus meum : prima hæc noſtra, in agone Medico, Tentamina tuo inſignire nomine, eò digniùs & juſtiùs duxi; quòd è tuo quaſi peculio depromatur Quæſtio diſcutienda, & tuis unicè armis ſit propugnanda; undè totus omninò tuus eſſe debet honos, ſi quis ſit, ſive in conatu ſive in ſucceſſu, cùm una mihi ſit laus & gloria verè dici & eſſe

Tuus humillimus, addictiſſimus ſervus
& Diſcipulus,

GAUTHIER.



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-nonâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXI.

M. ACHILLE-GUILLELMO LE BEGUE DE PRESLE, Doctore Medico, Præside.

An, ut Sanguinis, ita & Lymphæ alibilis, detur per arterias & venas proprias Circuitus?

I.



NUTRIRI, crescere, reparari, ad saniorem perfectioremve statum Physicè progredi, illud est omni corpori, etiam inanimato, congenitum. Huc tendunt omnes naturæ motus, huc machinularum omnis ferè generis, ex quibus totum quasi conflatur corpus humanum, mirum artificium, mira proportio. Omnes corporis viventis functiones, motu alterno solidorum in fluida, fluidorum in solida peraguntur. Sic chylosis, hæmatosis, sic humorum omnium sive recrementitiorum, sive excrementitiorum secretio, sic Lymphæ alibilis præparatio, applicatio, corporisque animalis nutritio, augmentum aut reparatio, perficiuntur. Horum naturam genuinam, mechanismum is solus perfectè novit, qui rerum essentias in suî ipsius naturâ videt, qui, *quæcumque voluit, propter semetipsum operatus est.* Omnes etenim de rebus creatis cognitiones, sicut res ipsæ creatæ, à nihilo, ut ita dicam, esse cœperunt. Ars Medica, si quæ sit, certè salutaris; licet ipsi mundo coæva, per multa sæcula nulla ferè fuit; Quibusdam tantùm fortuitis, incertis experimentis: paucarum plantarum fallaci Empiricâ scientiâ, tota consistens. Harum cognitionum paulatim sinè sensu crevit numerus, crevit certitudo, donec his invicem collatis, explicatis, prima posuit Artis & Scientiæ fundamenta Divinus Hippocrates, certo judicio & longâ factorum serie innixus. Ast indè quantùm à recto tramite deviatum est, dùm observationis parum sollicití, ad excogitanda systemata varia, eò ingeniores facti sunt Philosophi Medici, quò minùs, naturæ studendæ, interrogandæ, ipsiusque secretis scrutandis, seduli. Dum causas rerum primarias ponere voluerunt, umbram pro veritate, nubem pro Junone captârunt miserè delusi; donec tandem Harvæus immortalis, detecto & demonstrato circuitu sanguinis, novam formam novumque robur addidit Medicinæ Hippocraticæ; & dein, probatâ arteriarum lymphaticarum existentiâ, cognitâ proindè duplici circulatione in corpore humano, vera lux Medicæ theoriæ illuxit: dum simul patuit, primam sive Harvæam, circulationem, materiæ nutritiæ præparandæ, secundam verò quæ per lymphatica fit, eidem applicandæ prospicere; sicque nutritionem partium, augmentum

& reparationem fieri, ficque naturam fuum fcopum attingere in œconomiâ animali; cùm omnes ejus operationes ad individui confervationem ultimò referantur.

I I.

IPSIUS vitæ actione fenfim deterimur, alterno & non interrupto cordis & arteriarum motu, ad omnes & fingulas corporis partes protruditur vitalis rivus; it, reditque pluries fingulis horæ momentis. Hinc folida abradi, imminui fluida neceffe eft; reparanda ergo veniunt utrifque illata vi vitæ damna, fi præcipitem ruinæ gradum tardare volueris, tollere impotens. Huic operi, labore indefeffo, tota incumbit natura. At ex Hippocrate, *alit concoctum*, & cùm *quod à fingulis partibus defluit tale eft qualis ipfa pars, nil autem eorum quæ edimus, aut bibimus, tale prorsùs eft; hinc neceffe habuit natura priùs immutare & conquoquere illa & alendo corpori priùs preparare.* Huc omnes vitæ actiones confpirant, & ultimo referuntur mediante circuitu fanguinis. Dùm enim placidè fuas peragrat vias, fingulis partibus proprios impertit humores, quibus fingulæ, in communi opere, fymbolum conferunt fuum. Sic ori faliva, ventriculo fuccus ftomachalis, hepati bilis utraque procreatur, juxtà naturæ leges & fines. Undè injectum quodcumque fit chylus, fluidus, albicans, æquabilis, fubdulcis, homogeneus, qui dùm veteri cruori permifcetur, intimèque confunditur, vaforum actione fubigitur, repurgatur, denfior fluidiorque factus exurgit fanguis ruber & purpureus, qui licet tanto opere elaboratus, repurgatus, non eft, nec effe poteft fuccus alibilis verè dicendus. Hic enim tenuis & penetrans, partium fatifcentium rimas & loculamenta fubit: quod lentoris & vifciditatis habet, difflato fuperfluo phlegmate, calore & motu loci, debitos facilè acquirit firmitatis & duritiei gradus, partibufque nutriendis accrefcit, ut una eademque fiat natura: omnis acrimoniæ expers, omninòque infulfus, nihil quod emineat aut per fe exiftat in fe recondens, folamen, nutritionem, reparationem, augmentum, vitam affert: non labem, non ruinam: omnibus partibus congener, omnibus nutriendis fufficit: Lentè motus, inter hiatus partium tramite infinuatur placido, iifque, vi vitæ, compingitur.

De Alim.

Comment. 11. in lib. de Alim. Hip.

I I I.

TOT ac tantas dotes fucci alibilis à Sanguine rubro ne expectes, qui non omnes corporis partes abfolutè alluit & evidenter. Omnes albidas effe & fpermaticas, ne exceptis quidem iis quas fanguineas dixerunt Antiqui, vidit in rebus anatomicis oculatiffimus *Ferrein.* Imò etiam globulos fanguinis rubros, fuo colore orbatos vidit Lewenoeckius: mufculi, hepar, & aliæ id genus partes, calidâ pluries ablutæ, larvam deponunt. Non ergo univerfalis fanguis ruber, omnibus corporis partibus nutriendis par eft: non infuper infulfus, non dulcis facultate, non omnium duritiei graduum capax, non fat lentè motus. Idem de ejus fero falfo, aquofo, craffiori dicas. Soli proindè Lymphæ competit omnibus partibus, pro variâ earum naturâ & actione, nutritionem, reparationem, vitam conciliare. Sola tenuis, penetrans, vifcofa, colore offea, tendinea, carnea, &c. infulfa, univerfalis, lentè mota. Sola antè natum fanguinem & chylum, prima fœtus rudimenta vix dùm delineata, vivificat fovet, nutrit & expandit in magnam fubito molem. Vulnerum labris deterfis undiquè depluit benignus liquor, ubiquè beneficus; fola omnibus partibus nutriendis benè compar, cùm omnes albidæ fint & folâ forfan duritie, configuratione, laxiori ftrictiorive compage differant inter fe & ab ipsâ Lymphâ fluiditatis motu quo orbantur; fola denfior fanguine ejufque fero, corpori animali nutriendo requifitum attenuationis gradum acquifivit; Sola infulfa & facultate dulcis, mollia & tenerrima corporis ftamina fubire, penetrare finè labe poteft. Omnes ejus dotes ab ovi albumine accipe à quo, nec experimentis, nec analyfi Chymicâ hucufquè differre probatum eft.

I V.

AT in quânam corporis parte, quibufnam vafis ineft tam pretiofus liquor, verè utilis, dic amabo! Sæculo proximè elapfo, vafa invenit Bartholinus, quæ à liquo-

ris contenti cum lymphâ similitudine *lymphatica* & ab inventore *Bartholiniana* dicta sunt. Ex omnibus quidem partibus, carneis, osseis, membranaceis, nerveis, tendinæis, procedunt, sed hac meræ sunt venæ valvulosæ, revehunt non advehunt, sua liquida: at ad circulationem arteriosa quæ vehant, venosa quæ revehant, absolutè requiruntur. Physici, inter quos solo nomine laudandus Boerrhavius, arteriosa & venosa vasa cuique humori propria concesserant; Sic, sero serosa, bili biliosa, spirituosa spiritibus: &c. at finxerunt tantùm, non demonstrarunt, siquidem nullus anatomicorum vidisse se asserit. Imò hujusce opinionis author Boerrhavius eas *præ exili pelluciditate invisibiles* declarat & alibi invictè probat, & ex dictis concludit, *omnia vasa lymphatica hactenus* (1726) *exarata & descripta, meras esse venas: nam*, inquit, 1°. *ex minoribus ramis in ampliora ducunt*: 2°. *à radicibus invisibilibus gracilescunt & majora fiunt accretione vasorum lateralium quæ se in majus exonerant*; 3°. *omnia vasa lymphatica habent valvulas, verùm nullibi in corpore in arteriis valvulæ reperiuntur*: 4°. *hæc omnia vasa lymphatica vasis majoribus cordi reddunt*. Ad asserti veritatem omnes authores qui de lymphaticis scripserunt, omnes figuras delineatas invocat. At quid non cogit amor veri! labor improbus! has arterias lymphaticas, omnibus hucusque invisas, ab omnibus licet suppositas vidit *Ferrein*. Perspicacissimis eruditissimisque viris certè annumerandus. Harum ortum, progressum, insertionem, differentias in utero menstruatæ, obscurè quidem primò, sed in oculo dein humano ipsâ luce clariùs vidit, & coram Regiâ Scientiarum Academiâ demonstravit, suisque Discipulis palàm facit quotannis, & ipsemet vidi. Oriuntur autem tenuissimis, numerosissimisque truncis à majori uveæ circulo & ad minorem circulum extenduntur; undè vix lineam semissem progressæ, innumeros quaquaversùm, arteriarum more, ponè & suprà invicem positos emittunt surculos, qui angulos acutos cum suis truncis, pupillam prospicientes efformant mirando sanè spectaculo. Horum majores trunci ad marginem pupillæ serpendo extenduntur, & sæpe à dextrâ parte ad sinistram, & vice versâ, à sinistrâ ad dextram emittunt propagines versus uveæ centrum quàm simetricè dispositas. Linæi gossipini filamenta ferè æquant crassitie, & vix tamen credas, nisi videris, quàm nitidè, quàm evidenter in oculis etiam aliquantenùs marcidis, non pari quidem numero & crassitie ac in recentibus & viventibus, licet in his paulò magis confusæ appareant. Videatur insuper quæ in actis Regiæ Scientiarum Academiæ, anno 1741, hâc de re protulit Author eximius non uno hoc invento clarus. Duplicis autem generis esse vasa illa lymphatica, sicut & sanguinea, hinc patet, 1°. quòd injectus in carotidem liquor, in arteriam nervi optici comitem, in arterias scleroticam perforantes, in arteriosum uveæ circulum, & tandem in arterias quasdam lymphaticas quibus dat originem, protrudatur: 2°. ex infinitis horum propaginibus arteriarum hinc indè emissis, novæ lymphaticæ venæ, sub ipso arterioso circulo nascuntur, & in venas choroïdeæ sanguineas se exonerant, pluribus factis antea circuitibus in ipsius substantiâ. Vidit etiam inventor perspicacissimus, non sinè labore quodam, in venas congeneres & continuas idem liquidum penetrare. Sic se habent vasa arteriosa & venosa recentia ab authore *Ferrinea* dicenda, tandem magno Medicinæ emolumento inventa, & quorum existentia pro certissima in rebus Anatomicis jam habenda est.

Inst. Med. §. 246. Meth. disc. Med. pag. 354.

V.

EGREGIUM sanè inventum, & immortalite dignum! Quis jam in Medicinâ hospes suis ipsissimis oculis non vidit! quot & quanta in Medicinæ theoriam deriventur commoda, paucis accipe. Jam constat non omninò invisibilia esse secretoriorum organorum prima vascula, cùm hæc *Ferrinea* lymphatica merè sint secretoria, & sola vitri lenticularis ope, cujus focus sit quinque aut sex linearum, nullâ præviâ

injectione, conspicua se præbent, in cæsiis maximè oculis, recentibus, viventibus aut etiam marcidis, avulsâ tantùm anteriori scleroticæ parte, & in internâ uteri superficie sub retis cujusdam albicantis specie, & menstruorum tempore, rubicundæ aut leniter purpureæ. Jam patet quid sint fibræ posticæ partis uveæ, ejusque vasa Ruischiana sanguinea, imò quid sit uvea ipsa. Jam denique patet diù reconditum nutritionis opus. Duplici substantiâ sanguinem constare jam à multo tempore notum est, globulosâ & rubrâ unâ, pellucidâ verò & albicante alterâ. Quæ invicem mixtæ & confusæ cordis actione, & arteriarum elatere, ad omnes corporis partes propelluntur per truncos arteriosos eorumque propagines. Ast, ubi ad capillamenta, his globulis rubris impervia, devenêre, has à se invicem secedere necesse est. Rubra pars, pauco sero innatans, arteriosa trajicit capillamenta per venas contiguas ad cor reditura; dùm nova *Ferrinea* lymphatica ab ipsis rubris arteriis orta, solam Lympham combibunt, & arteriarum more, in surculos minores atque minores dividuntur, vitam, nutritionem, robur, ubique deferentes. Tùm per horum vasorum poros roris ad instar exhalantes, alibiles & spirituosæ, penè dicam, quas continet Lympha particulæ, motu quo gaudent vascula vacuolis applicantur, figuntur, calore loci, rimis, meatibus agglutinantur, concrescunt. Sicque tale prorsùs & quale deperditum est, jugiter parat, affert & addit benè provida natura duplicis circulationis ope: superfluum intereà novis congeneribus & *Ferrinæis* resorbetur venis, quæ successivè minoribus vasculis sibi invicem occurentibus auctæ & accretæ, majores truncos efformant, tunc tantùm visibiles, cùm se in vasa sanguinea exonerant, vel forsan valvulosis Bartholianis secundi generis locum dant; sicque cordi restituitur Lympha nutritia residua, undè concludere juvat:

Ergò, ut Sanguinis, ita & Lymphæ alibilis, datur per arterias & venas proprias circuitus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista Thurant.

M. Carolus Gillot.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus le Thieullier, Regis Consiliarius & in Majori Consilio, necnon in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius, & Chirurgiæ Gallico idiomate Professor.

M. Petrus-Maria Maloët, Scholarum Professor.

M. Alexander-Dionysius Dienert.

M. Carolus-Geille de Saint-Leger.

M. Gedeon de Rabours.

M. Laurentius Ferret, Ecclesiæ Cameracensis Canonicus.

M. Joannes-Jacobus Belleteste.

Proponebat Parisiis HUGO GAUTHIER, Riciacus Lingonensis; Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ Parisiensis Facultatis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1761.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1761.